

omni occasione et excusatione cessante ipsi episcopo tanquam pastori vestro debitam impendatis obedientiam et honorem. Datum Laterani VI. Id. Aprilis pontificatus nostri anno quinto.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an hänfener Schnur.
Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 41 f.

No. 63. 1196. 8. Apr.

P. Coelestin III. belegt den Verleumder des Bischofs von Meissen, den Canonicus Conrad zu Wurzen mit dem Kirchenbann.

Celestinus episcopus servus servorum dei venerabilibus fratribus Magdeburgensi archiepiscopo et suffraganeis eius salutem et apostolicam benedictionem. Ex iniuncto nobis apostolatus officio noscitur imminere, ut sicut ecclesiasticis viris pariter et honestis apostolicam debemus impendere gratiam et favorem, sic illi qui tergiversatione ac dolositate laborant, condigna debent animadversione puniri et ad suam et aliorum correctionem ecclesiastica sunt censura plectendi. Verum quia sicut ex tenore litterarum iudicum delegatorum et aliorum prudentum virorum accepimus, Conradus Misinensis diocesis, qui se dicit Wurcinensem canonicum, procuratorem se Misinensis capituli cum non esset asseruit, et contra venerabilem fratrem nostrum Misinensem episcopum pravas adinventiones et plura inhonesta et enormia eidem obicere non expavit, et quia post officii beneficii per suspensionem et excommunicationis sententiam in suae salutis periculum divina non dubitavit officia celebrare, de tanta praesumptione ac temeritate horribili est poena plectendus. Fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus praefatum C. per dioceses vestras auctoritate apostolica tamdiu faciatis tanquam excommunicatum ab omnibus artius evitari, donec cum litteris vestris veritatem continentibus ad sedem apostolicam veniat absolvendus, sufficienter super iis omnibus responsurus, non obstantibus litteris, quas super absolute sua tacita veritate a sede apostolica noscitur impetrasse. Datum Laterani VI. Idus Aprilis pontificatus nostri anno quinto.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an hänfener Schnur.
Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 48.

No. 64. 1196.

B. Dietrich II. bestimmt, dass bei der Feier des Jahresgedächtnisses des B. Gerung zwölf Soliden aus den Zollerträgnissen unter die Mitglieder des Capitels vertheilt werden sollen.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Theodericus dei gratia Misnensis episcopus. Notum esse cupimus Christi fidelibus, quod beneficium duodecim solidorum de telonio nostro, quod Otto capellanus noster iure feudali de manu nostra tenebat, pecunia nostra ab ipso absolvimus et in augmentum praebendae fratribus nostris Misnensibus pro spe remunerationis aeternae contradidimus, ut in anniversario episcopi